



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

71. De nono præcepto. Non concupisces rem proximi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

riculum vitæ subeat, absque dubio tenetur ille famam reddere, etiam cum propriæ vitæ periculo; vt, qui crimen hæreticis imposuit alicui, vnde ille comburetur, nisi detractor se falsum dixisse affirmet, ob quod occidetur, tunc tenetur verum aperire. Hic attende, quod si ille, qui subit periculum, non peccat hoc ex impositione alterius, sed tantum ob peccatum alterius tunc hic non tenetur verum dicere: ver. gra. Petrus occidit Iohannem: ob errorem comprehenditur Martinus, & morti adiudicatur, tunc Petrus non tenetur se manifestare, quia ipse non imposuit Martino. Quod si veller se manifestare, aliquando bene & meritorie faceret, in illo nempe casu, quando aliquis potest licite pro alio vitam exponere: quando vero imposuit falsum, & persona detracta non subit periculum vitæ, sed tantum famæ, aut similiter etiam rerum temporalium, detractor verò si manifestet, vitæ periculum subit, tunc dubium est, & quamuis Caiet. loco allegato existimet, numquam obligari aliquem, cum periculo vitæ propriæ restituere famam aut res alterius, tamen ego puro cum Soto esse dicendum, quod si notabilis sit infamia, tenetur etiam cum vitæ periculo restituere. De hoc tamen superius plura diximus, dum de restitutione tractaremus.

Tertium dubium est, cum sunt duo, qui se inuicem infamarunt, an possit alter licite non reddere famam alterius. Dico, cum infamia æqualis est, id licite potest fieri, sicut fit in pecunijs, cum duo inuicem rapuerunt res alterius æqualis valoris, quamuis vterque peccauerit. Sed aduerte, quod si vnus vult alteri famam reddere, iste tenetur etiam illi suam reddere, nec potest cogere, vt non reddat, sed, isto non reddente, non tenetur restituere.

*De nono præcepto, Non concupisces res proximi.
Ex cap. xx. Exodi.*

CAPVT LXXI.

Avaritiæ peccatum in hoc præcepto prohibetur: In cuius explanationis gratiam, quid Auaritia sit, explicare oportet. Est autem Auaritia, appetitus diuitiarum voluntarius, & immoderatus; in qua descriptione quatuor sunt particulae.

Prima

Prima est, *appetitus*. Voco appetitum, actum quo volumus, seu desideramus rem aliquam.

Secunda est, *diuitiarum*. Non enim appetitus cuiuscumque, Auaritia est: nam si est honorum, & propriae aestimationis, Superbia est; si rerum carnalium, Luxuria; si verò diuitiarum, Auaritia.

Tertia particula est, *voluntarius*. Dicitur voluntarium, quod est spontaneum, & liberum, quod homo potest facere, & non facere: quando ergo homo sic appetit, quod in sua est potestate non appetere, sicut appetere, tunc talis appetitus dicitur voluntarius. Et hoc necessarium est, ut appetitus dicatur Auaritia; non enim peccatum est, quod voluntarium non est. Sed adhuc non sunt ista satis ad Auaritiam; sed opus est quarta particula, ut sit appetitus *immoderatus*, id est, sine modo, sine mensura, sine regula. Regula autem, qua talis appetitus mensurari debet, triplex est, Iustitia, Charitas, Liberalitas.

Quando igitur appetitus est contra iustitiam, tunc auaritia est; quod duobus modis contingit.

Primo, quando aliena appetit modo illicito habere, vel habita retinere: ut, qui vult pecunias alterius, ita, ut, si posset, etiã per furtum, vel rapinam, vel vim, vel modo simili habere, utique acciperet; aut similibus modis habita vult retinere; & talis appetitus voluntarius est peccatum mortale, nisi materiae leuitate fiat veniale.

Altero modo, quando vult habere, quæ ipsi non possunt iuste dari, nec data potest licitè retinere: ut, qui sciens se omnino indignum & inceptum, beneficium, aut officium deliberatè appetit, aut habitum vult retinere, peccat auaritia contra iustitiam.

Tunc autem est appetitus contra Charitatem, quando homo sic suis rebus afficitur, ut eas præferat diuino præcepto, & sit paratus retinere, quamuis præceptum dilectionis proximi non seruetur. Obligatur enim homo lege Charitatis, in extrema aut graui necessitate proximi, ei succurrere cum potest. Cum igitur aliquis sic appetit suas res, ut sit paratus in nullo casu subuenire, aut in tali casu nolit subuenire, auarus est, & est mortale peccatum talis appetitus sine modo Charitatis. Quando verò sic est appetitus ille, ut nec contra iustitiam sit, nec contra Charitatis præceptum, sit tamen contra liberalitatem, qua homo ex superfluis; & ex his, quæ non sunt